



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tractatus I. De Excommunicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

DE CENSURIS ET IRREGULARITATE,

Quæ sunt de Iure Ecclesiastico.

LIBER DECIMVS.

MONITIO AD LECTOREM.

QUONIAM ea, quæ disputanda essent de Excommunicatione, Suspensione, & Interdictis omnibus sunt obvia, & passim legi apud Doctores possunt, ego, tum ne meri excerptis meam incurram; tum ne meis Lectoribus, vulgaria ipsis apponendo, tedio sim, seletas dumtaxat aliquas Questiones, & sanè præ ceteris utiles, de triplici hoc argumento in sequentem modum hic pono. De Irregularitate integrè agam.

TRACTATVS I. SELECTA DE EXCOMMUNICATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Diviso Excommunicationis in latam, & ferendam?



EXCOMMUNICATIO lata sententiæ est, quando Lex, vel Prælatus aliquid ita prohibet, ut qui secus fecerit, statim, eo ipso, seu, ut etiam loquimur, ipso facto, vel ipso jure incidat in excommunicationem; nam idè in sacro Textu, *C. Pastoralis, de appellationibus*, dicitur excommunicatio trahere secum suam executionem. Excommunicatio ferenda, quam etiam appellamus comminatoriam, est, quando Lex, vel Superior aliquid ita prohibet, ut si quis secus fecerit, non statim incidat in excommunicationem, sed postquam contulerit eum transgressum fuisse ejusmodi Legem, vel Præceptum, & Iudex, præcedente monitione, protulerit contra ipsum sententiam excommunicationis: Qui ergo delinquit contra priorem modum, ut excommunicatum in utroque foro se gerat sicutum: quia statim, patrat delicto, in excommunicationem incidit; qui verò contra posteriorem, non ita, quia nondum est excommunicatus, donec Iudex sententiam dictam proferat.

2. An verò sicuti excommunicatio lata præcepto addita signum est, ejusmodi præceptum obligare sub mortali, ita etiam, quando additur excommunicatio ferenda, diximus in *opus. de Sacrificio Missæ, l. 3. c. 1. §. 8. à n. 4.*

3. Dico, hic operæ pretium est advertere. Primum, quod dictum est de excommunicatione lata sententiæ, putà, eam habere secum suam executionem, verum esse, etiam in suspensione, interdicto, irregularitate; quando in his apponuntur illæ clausulæ, ipso facto, vel ipso jure, vel quid simile, indicans, ejusmodi pœnas non esse ferendas,

sed latas: statim enim (ut dictum est de excommunicatione) sine aliquo Iudicis ministerio incurritur. At quando eadem dictæ clausulæ apponuntur in aliis pœnis, v. g. *Qui hoc delictum patrauerit, qui non debeat, &c. ipso facto incidat in pœnam privationis vocis altricis, &c. passiva, in pœnam confiscationis honorum, in pœnam depositionis officii, &c.* non statim ejusmodi pœnae incurritur, sed requiritur mandatum, seu sententia Iudicis declarantis, commissum fuisse delictum, quæ declaratione prævia, & non antea, delinquens pœnis illis tenetur subiectus.

4. Immo idem erit ex Thoma Hatt. p. 2. fol. 571. Vnde etiam Verrie, fol. 134. n. 2. (Icè alijus Bald. cità Thom. Hurt. l. c. & Sam. de elect. d. 7. contr. 4. r. 2. id negent) etiam si addatur fortior clausula; sic, v. g. *Ne quis hoc delictum committat sub pœna privationis vocis altricis, &c. ipso jure sine ulla prævia declaratione*: nam etiam tunc requiritur sententia declaratoria delicti commissi. Quod si expressè aliud superaddatur sic: *Sine ulla prævia declaratione delicti*, tunc non est mirum, statim incurri pœnam, quia in tanta expressione voluntatis Superioris non datur aditus præsumendi, aliam Iudicis declarationem esse expectandam.

5. Si quaeras rationem disparitatis, cur in his pœnis requiratur dicta declaratio, non verò in excommunicatione, suspensione, &c.

Respondet Sanch. l. 9. de matr. d. 30. cui addit Suarez de cens. d. 3. sect. 3. & lib. 5. de legibus, c. 5. & Sam. loc. cit. n. 7. & 8. innuente, adducentes, se nullam invenire, nisi usum antiquissimum Ecclesiæ sic usurpantis.

6. Adverte secundò, difficile aliquando esse discernere, an in aliqua lege excommunicatio, vel quælibet alia censura sit lata, an sit ferenda? Nam licet interdum, quando clara sunt verba, planè discernatur, sepius tamen incidimus in ambigua, de qua re Tiraque llos de l. 3. nunquam, *C. de revocandis donat. v. Revertatur, latissime*. Tunc ergo notentur tres sequentes regulæ.

7. Prima Regula: Quando ex contextu verborum lex requirit actionem alterius, qui executioni mandet pœnam, tunc est pœna ferenda; quando autem pœnam requirit eam actionem, sed lex immediate pœnam infligit, & exequitur, tunc pœna est lata; & quia quando ferens censuram utitur præsentis, vel præteriti tempore, nullam restrictionem faciens, non requirit regulariter actionem, seu ministerium alterius, licet regulariter erit tunc lata sententia, quando verò minus

futuro, nullam restrictionem faciens, quia importate facile potest alterius ministerium, ideo tunc erit ferenda.

8. Secunda Regula: Quoniam non sunt certe verborum formulae, quibus excommunicatio fieri solet, totaque sententia excommunicationis dependet ab intentione illam ferentis; si is se declarat, vel ex aliis circumstantiis obligatur, excommunicationem esse latam, vel ferendam, talis omnino est iudicanda.

9. Dixi (clare) nam secus nulla feretur excommunicatio; unde recte Sayrus *l.c. de Cens. cap. 11 n. 15. & 16.* notat in his formulis: Fero in te Ecclesiastica Censuram sententiam: Fero te mactone Christi, vel mactone Ecclesiastico; Indignationem Dei, vel Sancti Petri, vel nostram incurrit: Praecipio in virtute Sanctae Obedientiae: Sub interminatione maledictionis maledico te, &c. in his, inquam, & similibus, esto peccator ab eo, qui non obedit, non tamen incurritur ulla excommunicatio, nec ulla censura, quia in prioribus duabus formulis non determinatur, quae censura, in ceteris nulla clare imponitur excommunicatio, vel censura.

10. Tertia Regula: Quando res est dubia, tunc juxta regulam decimanquintam Iuris: *Odia restringi, & favores conveniri ampliari*, pronuntiare debemus, penam, seu excommunicationem esse ferendam, non vero latam. Si dicit, v.g. lex: *Id ne fiat sub pena excommunicationis*, dubitamus, an intelligenda sit sub poena ferenda, an sub lata, tunc ergo restringamus, dicamusque intelligi solum debere de ferenda.

11. Sed adhuc via ferenda est, nondum enim expedite cognoscere ex allatis sic universaliter regulis possum, ferendane sit, an lata excommunicatio? Afferamus igitur ipsas peculiares formulas in modum frequentem: & noventur diligentissime verba, parum enim immutata ex una significatione in alteram facillime transiremus.

Certa Formulae Excommunicationis latae.

12. Te excommunico, vel excommunicamus: Sententiam excommunicationis contra te promulgamus, seu proferimus: Excommunicationis sententia te ligo: Excommunicationis mactone te percutio: Praecido te ab Ecclesia: Extra Ecclesiam te rejicio. Ita Sayrus, *l.c. de Cens. l. 1. c. 11. A sacris, humanisque te removo*. Ita Bauni *de Cens. l. 1. c. 2. d. 1. quest. 17.*

13. Privamus illum omni communione, nulla alia expectata sententia, aut declaratione, vel ministerio iudicis, autoritate nostra, ex vi hujus legis. Ita Bauni *l.c.*

14. Te anathematizo, te anathematizamus. Vide Sayrus, *loc. cit.*

15. Decernimus, &c. te innodantes excommunicationis vinculo. Legit Sayrus, *ibid.*

16. Praecipimus sub poena, aut sub interminatione excommunicationis latae sententiae, vel ipso facto, vel ipso iure, vel statim incurrendae. Vide Sayrus, *l. c. ipso facto sit extra Ecclesiam*, Bauni *l. c. De illo statim vide mox n. 43.*

17. Excommunicetur, seu omni communione privetur, excommunicatione, seu per excommunicationem latae sententiae. Habeatur pro excommunicato; Ita Sayrus.

De formula, Excommunicetur, quando nihil aliud additur, vide, n. 33.

18. Excommunicationi subiacet, vel subdatur: In excommunicationem incidat: Excommunicationem incurrit: Ita *loc. cit.*

Sicut in ceteris aliis formulis, sic in praesentibus semper fuerunt, Cum *Lez.* in mari magno Praedic. n. 60. Tiraq. in *l. Si unquam, v. Revertatur*, n. 148. & 149. si sit aliqua alia vox, vel circumstantia, quae ex subiecta materia restringat ad excommunicationem ferendam, tunc non significari latam: & certe in formulis hujus numeri nihil est, quod restringat.

19. Noveris, te excommunicationi subiacere: Decernimus, te excommunicationi subiacere: Statim noveris, te esse excommunicatum. Ita Sayrus, *ibid.*

20. Maneat excommunicatus: Censeatur, vel habeatur

excommunicatus, vel pro excommunicato: Sicut excommunicatus videretur. Ita Sayrus, *ibid.*

21. Excommunicatus sit: Excommunicationis sententia sit innodatus: Excommunicatus existat. Ita Sayrus, *l. c.*

Quidquid dicat Navarrus in man. c. 29. n. 12. putans (Excommunicatus sit) esse futurum Imperativi modi, atque adeo continere excommunicationem ferendam. Quidquid, inquam, dicat. Nam verbum (sum, es, est,) additum praeterito, praeteritum significat, sicut additum futuro futurum, seu (ut loquitur Comitulus in resp. mor. lib. 6. q. 24. ex Nigida Grammatico) praeterito ad primum vel futurum trahitur ad praeteritum, vel futurum. Et sane nemo in similibus penit, quas ex imperio infligit Superior, cordate dicit, idem esse: Sit excommunicatus, atque, V quam sit excommunicatus; nam verus sensus est Imperativi modi, sic: Esto excommunicatus, vel, Sit jam excommunicatus.

22. Anathema sit: Nam licet haec formula olim, nil significaret aliud, quam execrabile, & separatam in genere, tamen, teste Sayrus, *l. c. Sum de Cens. d. 3. sect. 3. ab Ecclesia usurpatur pro peculiari Censura excommunicationis latae sententiae*, ut clare colligitur ex fine ejusdem Ecclesiae volentis damnare separationem ab Ecclesia eos, quos sic damnat.

23. Qui hoc fecerit, excommunicatur. Ita Bonac. *de Cens. d. 1. q. 1. p. 1. n. 6.*

24. Qui hoc fecerit, est, vel sit, vel erit excommunicatus. Ita Comitulus ob doctrinam datam modo n. 21.

25. Nolcas, te excommunicatum: Excommunicationis te mactone noveris percussum: Scias, te excommunicatum; Te excommunicari. Ita Doctores citati.

26. Declaramus, qui hoc fecerit, esse excommunicatum: Declara, vel denuncia illum esse excommunicatum. Ita Avila *de Cens. p. 2. cap. 2. dub. 2.*

27. Denuntiamus, dicimus, definimus, qui hoc fecerit, esse excommunicatum. Ita Comit. *l. c.*

28. Praedicta formulae significant excommunicationem latam; cum monitione tamen data n. 18.

Certa Formulae Excommunicationis ferendae.

29. Praecipio hoc, prohibeo. Nud sub poena excommunicationis: Sub interminatione excommunicationis, aut anathematis, sub excommunicationis interpositione, sub anathemate. Ita Sayrus, *l. c. Nam in his, licet actus percipiendi sit de praesenti, non tamen actus excommunicandi, sic Avila loc. cit.*

30. Excommunicetis eum, qui hoc fecerit: Qui hoc fecerit, erit excommunicandus, vel excommunicabitur. Ita Sayrus, *loc. cit.*

31. Nota verbum futuri temporis per aliquos, ut Naldum, v. Actus, n. 34. sequentem Tiraq. *l. l. sup. cit. si fuerit geminatum, inducere excommunicationem latae sententiae*. Sed negat merito Comitulus, *l. c.* quia sive unum, sive iteratum futurum, non ex a futuro, quare, si sic dicat Superior: Excommunicabitur, Irutabitur, Cassabitur electio, Irritatio non est lata, sed ferenda.

32. Excommunicetur: Communione privetur, Excommunicationis vinculo innodetur. Ita Sayrus, *l. c.* Avila, *l. c. Imperativus enim modus* (ait Comitulus citatus) *ex se futurum respicit, nisi per aliquod participium praeteritum, ad aliud advocetur, ut n. 21. dictum est.*

33. Advertunt item Bonacina, *l. c.* & Bauni, *l. c.* per hoc Imperativum, Excommunicetur, vel simile, significari excommunicationem ferendam, quando hoc Imperativum continet praeceptum Iudici impositum, ut ferat excommunicationem, quo pacto locutio directa ad ipsum Iudicem, quale est, si Pontifex dicat Iudici: Excommunica illum, si hoc non fecerit, seu excommunicetur ille a te, si hoc non fecerit. At, si ipse Superior, vel Lex intendat imponere excommunicationem, & propterea locutio dirigitur ad ipsum delinquentem, erit lata; ut, si feratur sic excommunicatio: Excommunicetis, &c. Tunc enim, cognita illa Superioris intentione sensus est: Excommunicetis a me. Quo pacto ministerium alterius non requiritur. Si de hac intentione non constat, jam diximus n. 10. debere intelligi benigniore, n. pariter, id est, excommunicationem esse ferendam.

H h 3 34. Qui

34. Qui hoc fecerit, in excommunicationem comminatur: Sciat, se esse excommunicandum. Ita DD. cit. quibus adde Felinum, Castrop. l. quos cit. sed non sequitur Leand. de cens. l. 1. d. 1. q. 1. §.

35. Licetum sit vobis excommunicationis sententiam contra illos promulgare. Lezana in mari mag. Præd. n. 58. Sicut excommunicatus vitetur, quia (inquit Abbas apud Leand. de cens. l. 14. §.) similitudo excommunicationis non est excommunicatio.

36. Ab anathemate, sub excommunicatione prohibere curetis: Si quis patere contemnat, eum excommunicationi subdatis. Ita Bauni l. c.

37. Hec ergo, si sic pronuntietur, ferendam importat excommunicationem, non latam sive à lege id pronuntietur, sive à Iudice, ut notat Avila de cens. part. 2. cap. 2. dub. 2. cum Sylvestro contra Hostiens. Applicata tamen semper monitionem datam n. 18.

Due Formule Excommunicationis late, vel ferende.

38. Nullus Petro commicet, Nullus ei commicet, donec satisfactione præmissa absolvatur.

Hæc due formulæ continent quidem sententiam latam, quia sunt sub modo Imperativo, & locutio non dirigitur ad Iudicem, sed ad ipsum delinquentem iuxta dicta num. 33. Id, quo etiam ostendit illud. (Donec absolvatur.) Si enim debet absolvi, iam incidit in excommunicationem, sed apud Sayrum l. c. dubitatur, an contineant sententiam excommunicationis majoris. Ratio dubitandi est, quia excommunicatio major privatur Fidelis communicatione hominum, & Sacrorum: at per hæc formulæ privatur Petrus sola hominum communicatione, atque adeo videtur incurrere solum excommunicationem minorem, quæ, ut supra vidimus, est pars majoris.

39. Mihi videtur per hæc verba, nec majorem, nec minorem excommunicationem intelligi, quia tum major, tum minor habet alios effectus præter privationem communicationis hominum, quæ sola in his verbis infligitur, & ex alia parte, cum sumus in odiosis, verba non sunt extendenda. Per hæc ergo formulæ, non excommunicatio major, vel minor, sed solum talis determinata pena privationis dictæ communicationis dumtaxat infligitur ex mea sententia.

40. Habeo te pro excommunicato. Significat ferendam sententiam, si à Iudice sic dicatur: at, si à iure, aut in excommunicatione conditionali, quales sunt omnes, quæ dantur cum monitione canonica, aut propter peccata futura, significabit latam, ita Sayrus loc. cit. n. 17. citans Sylvest. Tabienam, Navar. aliosque.

41. Verum, ego ambigo de hac doctrina; quæ enim à Sayro, cur ibid. suo num. 10. (ut non retulimus paulo ante nostro num. 20.) dixit: Habeatur pro excommunicato, esse absolute excommunicationem latam; cum idem profusus sit, vel valde equipollens cum hac formula; Habeo te pro excommunicato. Non igitur ipsi assentior, nam puto utramque formulam semper ex se significare excommunicationem latam. Ex se dico, nam si addatur aliqua monitio antea facienda, vel quid simile requirens Iudicis ministerium, tunc non est mirum, quod significet ferendam, quia id Regula generalis dicta n. 7. satis persuadet.

42. Per sequentes formulæ: Qui hoc fecerit, excommunicationi subjacebit, subdetur, subijcietur, in excommunicationem incurret, incidet, latam excommunicationem significari, videtur docere Comitols, in resp. mor. lib. 6. quæst. 24. Ego animadverto, ipsum confundere illud, subjaceat, subdatur, subijciatur excommunicationi (quæ certe sunt signa late sententiae, ut vidimus num. 18. cum subjacebit, subdetur, subijcietur, &c. & cum respiciant futurum tempus, videtur esse signa excommunicationis ferende.

43. Hæc particular. Subito, statim, confestim, continuo, incontinenti, è vestigio, repente, sine mora, incunctanter, indilate, immediate, mox, (quibus addit Bonacina

de cens. d. 1. q. 1. punct. 1. n. 6. penitus, omnino, & commo-
temporis intervallum excludant, latam excommunicationem
care aut idem Bonacina ibid.

44. Sed certe id nimis confusè pronuntiat, diffinitum esse monit: Quando enim apparet, sententiam, vel legem excommunicationis per illas particulares trahi ad dispensationem penæ, nec relinquere locum novo sententia ministerio Iudicis, est lata, ut si dicat: Statim, confestim, &c. noverit se incursum, seu subitum excommunicationem, quæ certa formulæ si careret illis particularibus, autem ita tollit tarditatem, ut tamen reliqua, statim, confestim, erit excommunicandus, noverit se latam excommunicandam. Nam propter illam formulam, præcipio sub pena excommunicationis statim incursum, quia, penam Excommunicationis statim esse incursum, est de præsentibus in illam incidere, nec opus esse Iudicis ministerio.

45. Removeatur, abijciatur, expellatur, privetur omni communicatione Fidelium, Non pauci apud Trag. l. c. latam excommunicationem putant, At, Removeatur, expellatur, privetur cum omni communicatione, est ferenda. Ratio est (inquam) quia hic requiritur ministerium, quod removeatur, ibi non item.

46. Sed mihi videtur, etiam ibi (nisi aliud ex circumstantiis clare colligatur) requiri ministerium ipsius qui removeatur, iuxta dicta num. 33. Imò Felinus adducit à Trag. l. c. n. 175. habet, etiam si dicat Superior, statim, confestim removeatur, requirit ministerium Iudicis, quæ debet esse excommunicationem ferendam; siquidem illæ particularæ solum hæc accedunt, & accelerant excommunicationem, non faciunt. Atque ad hoc sentiendum propendit etiam Tiraquell. de præf. l. n. 171. si attente legatur, itaque confirmant ea, quæ dixi n. 33. cit.

CAPVT II.

Metus gravis quid operetur in Excommunicatione.

§. I. An excuset ab ejus incursum?

1. Omnino hæc recolendum est, Quid sit metus gravis cadens in constantem virum, Quid sit violentia vel non incussus ad extorquendam actionem aliquam, Quid iustus, vel iniustus, & similia, quæ latè Sanchez lib. 4. marr. a. d. 1. & ego collegi breviter lib. 1. in c. 1. a. §. 2.

2. Quibus in memoriam revocatis, dico, metum gravem, quo scilicet timetur grave damnum sive in vita, sive in fama, sive in rebus, qui modo ibidem dictus, excusat hominem à peccato mortali ob transgressionem præcepti Ecclesiastici, quod non obligat cum tantum periculo. Dico, inquam, cum Bonac. de cens. d. 1. q. 1. part. 3. & communiter cum Doctoribus ab eodem citatis, & cum Doctoribus citatis à Leand. de cens. l. 5. a. quæst. 25. excusare etiam ab excommunicatione, quæ est dispensatione Ecclesiæ ejusmodi transgressionem admodum est. Dixi (grave damnum) nam leve, nec à præcepto excusat, nec à censuris. Ita Gasp. Hurt. ad Leand. præf. tract. 1. de cens. d. 10. quæst. 29. Quare, si quis fugiat à satellitibus, à quibus timet mortem, vel vultu gloriæ, ingreditur in Monasterium, verbi gratia, Monachum, non incurret in excommunicationem: & pari modo præceder excommunicatio, ne quis, v. g. Clericus arma præter, si is ob timorem gravem, ne à suo amico grave damnum patiarur, illa deferat, excusabitur à peccato mortali non actioni ferendi arma, sed actioni peccaminosa illa ferendi sit conjuncta. Quare sicut pia Mater Ecclesiæ

illum excusat ab observantia præcepti & ab incurfu in penam. Excepit semper ex regulis generalibus contemptum, scandalum, majus aliquod bonum.

3. Quod diximus de excommunicatione, dic etiam de aliis censuris, idque propter eandem rationem, ut signat eum multis docet Leander *tratt. 1. de Cens. d. 9. q. 1. §. 39.*

4. Inquires: Si excommunicatio fulminata sit contra committentes delictum jure naturali prohibitum, v. g. contra delictum homicidii; unde contra hoc delictum concurrant, & præceptum juris naturæ, & præceptum Ecclesiæ, quæ illud prohibeat sub dicta pena excommunicationis, ego verò homicidium committam ob metum eadem in constantem vitum, præter peccatum, incurram, etiam excommunicationem?

5. Respondeo, incurrere, non pauci, ut Sanchi, dicens esse opinionem omnium *lib. 9. matr. d. 31. num. 6. Castrop. de Cens. d. 1. p. 8. num. 11. Gasp. Hurt. de Cens. diff. 23. n. 100.* sustinent. Ratio eorum præcipua est, quia, quando actio aliunde jure naturæ prohibita est, si ei addatur excommunicatio ab Ecclesiâ, non magis aggravatur Fidelis ex ejusmodi addita pena; quam aggravabantur antea; jam enim ex præcepto naturali ab illa actione se abstinere debent, idque sub quocunque periculo cujuscunque damni. Si igitur addita intelligitur nova pena excommunicationis, non est, unde incurrere non debeat. Confirmatur, quia sic videtur Innocentius III. *C. Sacris, de iis, que v. d. finiville.*

6. Nihilominus plures, ut Avila *p. 2. cap. 6. diff. 8. d. 5. Conich. d. 13. de Cens. dub. 12. Filiuc. tratt. 1. n. 269.* alique tenent, non incurrere, cum quibus sentire me cogit, præter rationem, ipsa eadem benignitas Ecclesiæ. Ratio autem est, quia, licet metus non tollat vim præcepti naturalis, tollit tamen vim præcepti Ecclesiastici, quia Ecclesiâ absolute, & universaliter non intendit, gravi periculo imminente, suis legibus Fideles attingere. Unde Fidelis, quamvis tunc non pareat Deo, non tamen inobediens Ecclesiæ ullo modo dicendus est. Nec aliter definitur Innocentius. Is enim solum dixit, non semper metum excusare ab incurfu in censuram, quod certe verum est, quia, ut notat Gasp. Hurt. *de Cens. diff. 28. n. 58.* metus levis, & metus gravis incussus in contemptum Ecclesiæ, non excusant. Vide Suar. *d. 6. de Cens. sect. 5.* adde Leand. *1. de Cens. d. 10. q. 27.*

7. Quod diximus de Censuris, dicimus, propter eandem rationem, de irregularitate ex delicto. Quare occidens injuste aliquem ob similem timorem ab aliquo ipsi incussum, ob timorem, inquam, mortis, vel damni gravis, irregularis non erit, ut signat docet Leander, *tratt. 1. de Irreg. d. 9. q. 8.* erit verò si occidat ex metu levis mali, ut est ejusdem Leandri *1. de Cens. d. 10. q. 28.* & communi doctrina colligitur.

8. Consonat prædictis Delugo *d. 40. de Inst. n. 15.* sic dicens: Etiam si (ait) contra Reum sit plene probatum delictum, adhuc non tenetur comparere citatus à Iudice, quia non tenetur obedire cum tanto periculo. Item potest fugere licet à carcere, etiam præcipiente Iudice, ne fugiat, quia juri naturale, ut fugiat mortem, illi licitam reddit fugam. Hec Delugo.

Illud (in tanto periculo) explicuerat idem Delugo *ibid. n. 14.* his verbis: Primo, si timeatur sententia mortis. Secundo, si damnandus esset Reus ad Trimes. Tertiò, si confessio esset omnia bona. Quarto, si periclitaretur omnia in honore, & in aliis casibus similibus.

Dixi autem (similibus) nam, non ita erit in dissimilibus, si nimirum non timeatur damnum adeo grave: nam propterea *ibid. n. 16.* subiunxit: Addidi tamen, Reum obligari etiam sub peccato, quando dumtaxat, quod timet, non esset tanti momenti, quia leges humana possunt obligare regulariter ad aliquod damnum subeundum.

Hec ex Delugo, cui ea est admonitio subnectenda, ut scilicet evulgeretur, ad evitandum scandalum, rationalis timor gravis damni. Nam, si tua excusatio nesciatur, debe te gerere, ut excommunicatum, & excom-

municationis Absolutionem obtinere, ne videaris auctoritatem Ecclesiæ contemnere.

§. II. An metus gravis damni excuset ab observantia illius, quæ alias debet excommunicatus observare.

1. Hic sanè opportunum sortitur, locum, subitatio illa: An sicuti metus gravis excusat ab incurfu excommunicationis; ita etiam ab observantia illius? Claritatis gratiâ figuremus eam:

2. Titius Sacerdos incidit ad excommunicationem latae sententiæ; quare, si is Sacrum celebret, etiam si per actum contritionis statum gratiæ acquisiverit incurrat irregularitatem, ut certum est, & dicemus in *tr. de Irreg. c. 14. §. 3.* Porro accidit, ut quidam Princeps compulerit illum metu gravi ad celebrandum; (atque, ut suppono, propter dicta §. præced. non in contemptum Ecclesiæ) ipse autem ejusmodi coactus metu celebraverit, contraxitne irregularitatem?

3. Figuremus, & casum alium: Caius excommunicatus vitandus cogitur per metum gravem, & non in contemptum Ecclesiæ, ut audiat sacrum, utque communice in Divinis, Humanisque, atque illa agat, quæ ab Ecclesiâ prohibentur excommunicato, peccatne, & penas contentas in ea prohibitione contrahit?

4. Figuremus, & tertio sic: Seius Sacerdos, & Confessarius percussit publice Clericum, suadente diabolo; unde certò incurrat in excommunicationem, & est vitandus, suspensus, vel amissa jurisdictione necessaria ad absolvendum, ipse tamen compulsius metu gravi incussò à nescio quò, percipientem absolvit; & querit in præsentia, an licet, & valide illum tunc absolverit, quando non observavit id, quod excommunicatus observare debebat, ne scilicet impedita, vel amissa jurisdictione exercetur.

5. Respondeo, de duobus casibus primis Titium, & Caium excommunicatos, etiam vitandos, ut volunt plures apud Leand. *de excomm. d. 5. q. 3. & sequent.* excusatos fuisse; priorem, ab incurrenda irregularitate, posteriorem verò ab incurrendis iis penis, ut etiam à peccato, quantum est ex vi excommunicationis, qua erat affectus; id plures apud Leandrum. Ratio est dicenda ex dictis, quia existente gravis mali periculo, Ecclesiæ præcepta (ipsa eadem sic volente) non urgent.

6. In tertio autem casu aliqui cum Hurtado *de Censur. diff. 23. num. 101.* existimant, illam absolutionem, non solum fuisse invalidam, sed etiam fuisse illicitam, ex duplici capite. Primo, quia Sacerdos non observavit id, quod de jure naturæ est, ut nemo utatur jurisdictione, qua caret. Secundo, quia non observavit Ecclesiæ præceptum prohibentis, ne quis excommunicatus vitandus jurisdictionem exerceat. Sed nos sequimur alios cum Alphonso de Leone *de Censur. recoll. 1. num. 433.* probabilius docentes, ejusmodi absolutionem, fuisse quidem invalidam, & illicitam, sed illicitam solum ex priore, non autem ex posteriore capite præcepti Ecclesiæ; quia hoc non obligat in illo metu, ut dictum est.

An metus infamiae excuset ab Observantia Censurarum.

7. Quæres: Doctrina hæcenus allata potestne extendi ad casum, in quo quis timet incurrere notabilem infamiam, seu notam, excommunicationem observando? Si Parochus, v. g. sit occultè excommunicatus (idem dic, si sit suspensus, irregularis, interdictus.) Et, nisi celebret, timeat, ob abstinentiam à celebrando, infamari se notabiliter, suumve peccatum manifestari, potestne celebrare sine peccato contra obedientiam debitam Ecclesiæ prohibentis excommunicato, ne sacrum sub pena irregularitatis celebret, & sine incurfu in dictam irregularitatem.

8. Respondeo, hunc, ne peccet contra reverentiam debitam Sacramentis, & suspicioni Eucharistiae, debere esse in statu gratiae saltem per contritionem, si ipsi desit copia Confessarii, jam omnes scimus, sed quoad poenas ab Ecclesia impositas, Dico, illam doctrinam, etiam ad casum hunc extendi, unde dictum Parochum non peccare contra obedientiam Ecclesiae, neque irregularitatem incurtere, idque in utroque foro. Ratio est, quia periculum notabilis infamiae, seu iacturae bonae famae est periculum gravis mali, ut merito docent plurimi cum Suarez, d. 6. de Cens. sect. 3. n. 13. & d. 11. sect. 1. n. 4. Ioan. Sanch. in select. d. 32. num. 2. Pasq. cent. 5. q. 28. multos citans, tr. 8. quest. mor. 28. n. 6. Avil. p. 2. c. 6. d. 8. d. 5. Lezan. v. Irregul. n. 55. vers. Excom. n. 7. Bauni in casibus sing. f. mibi 279. alique, quibus adde Sa. v. Excommunic. num. 7. sic docentem: Excommunicatus occultus potest, ad vitandum scandalum, vel gravem iacturam Missam audire, & celebrare, nec fiet irregularis. Haec Sa. Verum, addenda omnino sunt duo necessaria documenta.

9. Nam primo, praeter statum gratiae, cuius jam meminimus, debet interim, adhibere omnem diligentiam moralem, qua procuret absolutionem, vel dispensationem.

10. Secundum: Intelligat ejusmodi Censuratus tot actiones prohibitas licere ipsi tunc exercere, tot, v. g. Missas celebrare, quot satis sunt, prudentis arbitrio, ad vitandam infamiam, imò intelligit, etiam ipsi incumbere curam, inveniendi modum diminuendi, quantum, sine gravi incommodo potest, actiones praedictas, praetendendo, v. g. morbum, peregrinationes, occupationes urgentes, &c. vel transmigando, si potest, in locum alium, &c. Ratio est manifeste, quia solum eam licentiam ipse habet, quando arguitur periculo gravi: At gravi periculo non arguitur, qui ejusmodi remediis, sine gravi suo incommodo potest uti.

CAPVT III.

Explicantur aliqua de Excommunicatis vitandis.

1. **C**um multa dicant Doctores de Excommunicatione vitando, id est, nominatim denunciatio, & de quo publico percussore Clerici, hic aliqua pauca breviter explicanda sunt de hac materia; Sunt autem tria.

Primum, Quid requiratur ad praedictam denuntiationem constituendam?

Secundum, An denunciatus nominatim in uno loco sit alibi vitandus?

Tertium, Quidnam praestabit certitudinem moralem, te esse excommunicatum, vel denunciatum, vel absolutum, ut scilicet quis tibi debeat, vel non debeat communicationem denegare?

§. I. Quid requiratur ad praedictam Denuntiationem legitimè expediendam?

1. **V**t sit quis Excommunicatus, ac nominatim denunciatus, non est satis sententia iudicis, per quam aliquis excommunicatur, nec sufficit ejusmodi iudicis sententia, per quam declaratur quis, commississe delictum, cui est annexa excommunicatio, sed debet insuper à iudice fieri denuntiatio, seu declaratio, seu publicatio, quod id de quo agitur, incurrit iam de facto in excommunicationem. Quae publicatio fit, tum, ut ab omnibus sciatur, quis ille sit, qui vitandus erit, tum, ut ipse denunciatus rubore suffundatur, & ad resipiscantiam excitetur.

2. Quando igitur ad ejusmodi Denuntiationem est deveniendum, debet praecedere morio partis, secus regulariter, erit injusta, & invalida, deinde debebit à iudice per suum Notarium fieri de more scriptura continens nomen proprium, & cognomen excommunicati, vel ta-

lia signa, ut de eo individuo omnibus constet, & censens, d. 11. quest. 3. causam, propter quam si excommunicatus, ac denique ejusmodi scriptura affigetur in loco publico, ut solet communiter fieri, tunc nominatim denunciatio atque ab omnibus vitanda, ut dicitur scriptura, quam Cédulones vocamus, non debet addi picturam, per quam appareat excommunicatus, ut dicitur monent Pius IV. in sua Bulla 562. Bulla. Excommunicatus, circumstantes iudicem, tenentes in manu reos accensos, quos in fine in terram projiciant, quibusque consuevit, declaravit Sacra Congregatio Bulla, c. 62. n. 14.

3. Dixi (regulariter) quia in criminibus, quae ipso jure connexion habent excommunicationem, & crimen sit notorium, non necessarium debet praecedere monitionem, seu citationem, docent non ignobiles Doctores, ut Suar. de Censur. d. 3. sect. 10. n. 18. Alterius, alique apud Leand. de Cens. d. 7. q. 11. Ego sum Auctor iudicis, ut semper eam praemitant, tum ad tollendas lites, tum ad majorem securitatem validitatis sententiae.

4. Eodem etiam admonet, ut, si Reus se Tribunali sistat, crimen fateatur, satisfactoremque offerat, omnino illum non denuntiet; tunc enim non potest secundum Suar. de Censur. d. 3. sect. 10. n. 17. iuste denuntiare, quia totum negotium excommunicationis, quae denuntiationis est in medicinam consummatum Re. Si ergo ipse illam deponit, injustè amplius exactur, hinc injustè excommunicaretur de facto ille, cui intempestiva excommunicatio ferenda, si se Ecclesiae humiliter submittat, & pareat, &c.

5. Denique si excommunicatio fuit à superiore iniuste lata in rei veritate, sed iuste secundum allegata, & probata, rei que veritas sciatur ab eo, qui superior committit eam excommunicationem denuntiet, an hic excommunicatio valeat, legere poteris apud Doctores citatos à Leand. de Cens. d. 7. q. 17. & seqq.

§. II. An nominatim Denuntiatus in uno loco sit alibi vitandus?

1. **H**is breviter explicatis, illud iam nunc quaerimus, quod modò secundo loco proposuimus: An scilicet excommunicatus denunciatus in eo loco, verbi gratia, Neapoli, sit hic Panormi, & ubique vitandus? Suppono autem solum in uno loco fuisse denuntiatum. Nam ceterum, quando Episcopus, qui aliquem excommunicavit, denuntiavitque, requirit alios Episcopos vicinos, v. g. ut etiam ipsi eundem denuntient (quam quidem denuntiationem facere hi Episcopi possunt in Diocesis sine necessitate recognolescenti processum, & iustitiam sententiae ab alio Episcopo datae, sed illam iustitiam supponendo, nisi forte impunitam fuisse denuntiationem illam, appareat) & ipsi Vicini Episcopi de facto illum alibi, puta in suis Diocesis denuntient, ibidem debere ipsum vitari, dubium ne sit, quia iam etiam ibi denunciatus est. Porro allatae quaestioni loquens satisfacet enarratio.

Praemittitur occasio scribendi in utramque partem circa quaestionem in titulo propositam, ubi incidit quaestio de Examinatore Synodali per nomen appellatum designato.

2. Vacabat ob Parochi obitum in Diocesi Montegalenensi animarum cura affectum Beneficium, ab Archiepiscopo D. D. Ioanne Tortigliola ad Compertorum conspectum de more providendum. Promulgatus ergo consuetis edictis dies affuit, quo examen accurrentium expeditum ad quam expeditionem obeundam, cum examinatore Synodali tres eligere, juxta Trid. sess. 24. c. 18. de Reberet, Archiepiscopus me, qui per eos dies Collegio Montegalenensi, sanè immerito, praeram, tanquam unum ex Examinatoribus per nuntium admonuit, ut confisteret

co, id est, in Aula ædium Archiepiscopi cum cæteris duobus convenirent. Præsto affui, sed modeste dixi. Quamvis Rector Collegii Montis regalensis sit in Synodo Examinator Synodalis electus tamen, quia sub nomine appellativo Rectoris, ita is nominatur, non pauci verò Doctores, ut Garf. & Doctores Rotæ mox citandi, quibus addit Castro Pal. tom. 2. d. 3. de Benef. p. 1. §. 3. n. 8. Thom. Hurt. *resol. moral. p. 2. tr. 12. cap. 1. num. 67.* citantem Filiuc. Mellor. Salgad. Barbofam, dicentemque sic servari Romæ, Dianam p. 1. tr. 6. *resol. 3.* merito contendunt, id illegitimè fieri, dixi (inquam) me ab ejusmodi manere examinandi esse omnino subtrahendum.

3. Confirmabam: Concilium enim Tridentinum non obsecræ sue mentis esse, significat, à consensu Patrum in Synodo confidentium, non sub nomine appellativo, sed profecto sub nomine proprio Examinatores esse designandos. Quid enim, si Rector, Prior, Canonicus pro futuro tempore existentes, indocti nec ad examinandam idonei repræsentantur; Examinatores (sunt verba Trid. *loc. cit.*) in Diocesana Synodo proponantur, qui Synodo satisfaciunt, & ab ea probentur. Hæc Concilium. Nulla autem ratione satisfacere quis, & approbari legitimè, idque ad tam difficile, arduumque munus, valebit si prioris ejus doctrina, morum probitas, Ecclesiæque debita fides ignoretur, ut ignoratur certè futurorum olim successorum apta conditio.

4. Ac cognita erit (inquies) à Prælati, vel Superioribus, qui eos in illis dignitatibus, sedibusve constituent; unde scilicet Synodus præfens documentum aptitudinis eorum accipere jam satis potest.

Audio: Sed hoc pacto si non cognoscantur inmediate à Synodo, quam immediatam eorum cognitionem requirere videtur Tridentinum. Præterea à futuris ipsis Superioribus vix aliquando habebitur doctrinæ ratio, simul, & probitatis, simul, umque conditionum, quæ pro Examinatoribus requiruntur; siquidem ad gubernandum, vel Canonicatum, similesque dignitates concedendas, diversa prorsus merita considerari solent, ab iis, quæ in Examinatoribus exiguntur omnino debent.

5. Confirmabam iterum, nam Garfias asserens Doctores Rotæ *part. 1. de Benef. cap. 2. à num. 339.* ex pluribus Rotæ decisionibus probat, designationes has sub nomine Dignitatis, posse quidem comprehendere existentes tempore Synodi in ea dignitate, quippe jam determinatè cogniti; Successores tamen eorum, cum cogniti nequaquam sint, comprehendere non posse.

6. Confirmabam tertio: A Concilio Tridentino disponitur, ut singulis annis Examinatores designentur. At, si sufficit eligere Successores in officiis, ad quid tanta sollicitudo singulis annis designandi? Facile enim possent eligi appellativo nomine, qui jam pro futuro tempore non deficient.

7. Dicit quis: Reprehendendine ergo de imperitia sunt ii Synodales Patres, qui Rectorem Collegii sub nomine appellativo Examinatores renuntiaverunt? Non equidem reprehendo; quilibet enim sibi sapiat, ut velit, & tamen mihi persuadeo, Rectorem eo tempore existentem, quamvis sub nomine appellativo, fuisse à Patribus illis Synodalibus fortasse designatum, qui probè juxta prædictam Gassæ doctrinam ab ipsis cognitus erat, non verò Successorem quemcumque futuro tempore exiturum. Quid si putarunt doctrinam Petri Ledesmae in *summ. 2. p. 7. c. 1. consil. 7.* fuisse universalem pro toto orbe, cum tamen ipse solum docuerit, in Regno Hispaniæ consuetudinem esse receptam sub appellativo nomine hos Examinatores designandi, cuius tamen apud ipsum sit auctoritas: at in nostro Siciliæ Regno; at in Monteregaliensi Diocesi, ne umbra quidem ejusmodi consuetudinis appareat, præter unius ultimæ Synodi designationem, quam sciam, de qua nunc vertitur controversia.

Tu ergo, Amplissime Præsul, ad evitandas saltem lites de illegitima Parochi electione (subjungebam) alium ex Examinatoribus non ambiguis jubeas, oro, pro tua prudentia sustinendum,

8. Annuit: Sed confestim vigilantissimus Vir interrogavit, An saltem possem interire?

Respondi, id minime prohiberi, modò nequaquam ego suffragium feram, sed etiam Examinatorum ratio dumtaxat habeatur, afferturque *Justi. Castr. Pal. & Thom. Hurtadum* (eramus enim in loco Bibliothecæ Archiepiscopali contiguo) qui cum essent allati, ostendi Castro Pal. tom. 2. d. 3. de Benef. p. 2. §. 4. n. 5. absolute concedere, cum, qui examinatur Synodalis non est, posse, & examini interesse, & suum suffragium ferre, sed supra trium Examinatorum numerum, Hurtadum *resol. moral. p. 2. tr. 12. cap. 1. à num. 104.* verò probabilius id negare, quia si aliis à tribus sive respondere, sive satisfacere examinandi cogentur, fieret ipsis injuria, cum præsertim à Concilio Tridentino pro forma examinis solum requirantur, ad concurrentium aptitudinem explorandam, tres Examinatores, non plures? Hos, inquam, ostendi, sed ostendi insuper à neutro alegari meram præsentiam alterius, qui examinatur non sit: & quidem merito; id enim, nec formæ examinis substantiali, nec Ari Examinandorum obesse potest.

Approbato consilio, clausisque libris, advocatus est tertius Examinator, atque is post brevem temporis lapsum cum accessisset, confestim de mori, ipso Archiepiscopo præfente.

9. Et jam duo candidati tantummodo, coram steterunt, alter altero senior, sed uterque Doctor Theologus, uterque virtutibus, ut fama erat, ac probis moribus insignis, quorum ætate junior meus olim fuerat in Theologicis auditor. Examine ergo datum est initium, & ne pluribus relector, moleste distineam, adeo bene, docte, & eruditè, in arduis Theologiæ speculative, & moralis questionibus propositis, uterque se gessit, ut omnes, qui præfentes aderamus, neutri victoriam, sed utrique gloriam eandem concedendam esse censuerimus: iis ergo recedere rantesper jussus ab Aula, quis anteposendis alteri esset, ceptum est, deliberari. Et sine ulla hesitatione eos, & ad amissum in doctrina, & moribus æquales esse tres Examinatores, quæ uno suffragio pronuntiaverunt. Cum autem Concilium Tridentinum præferebat, ut renunciatis per Examinatores iis, qui idonei judicati fuerint, ex his, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum existimaverit, ipse verò Archiepiscopus, juxta, ac censuerunt Examinatores, æqualiter utrumque aptum esse judicaret, hærebatur incertus, quid tandem statuere deberet. Denique fixis per brevem morulam incogitabundi more humi oculis, mox, ut erat summa pietate, ac Religione præditus, iisdem elevatis ad depictam in tabula oppositam parieti affixam imaginem Christi Domini, prosequamur, inquit, examen, & ex Synensium consuetudine, aliquid Theologorum utrique conscribendum imponamus, qui questionem ingeniosius agitaverit, illi palma esto. Nulla mora: concertantibus iterum ad nostrum confessum accitis. Video, inquit Archiepiscopus, vos pares esse in moribus, virtutibus, sapientia: uno verbo dictum, eodignus est utique Beneficio. Quoniam verò quis ex vobis dignior, nondum apparuit, molior questionem Theologicam vobis proponere, ut illam quisque suo Marte separatim conscribat; nam sic, qui in scribendo præcellit, victoria decorabitur: vestro tamen utriusque consensu id præstandum volo; nolo enim à vobis novum hoc experimentum absque vestra omnino libera voluntate reposcere. Annuerunt statim animosi pugnatores, & ad seniores ex Examinatoribus conversus Archiepiscopus: At, inquit, in medium, Pater, moralem aliquam Theologicam questionem, quæ, ut horum stylus, & doctrina emicere facilius possit, diligenti disquisitione sit digna.

Ad hæc eruditus Examinator non diu moratus, sic enodandam difficultatem breviter exposuit: Cum excommunicatus nominatim denunciatus debeat, ut nemo ignorat, à Fidelium commercio repellitur, illud decidi vellem, An denunciatus in uno loco, v.g. Neapoli, sit in loco alio, v.g. Montis regalisi, imò, & ubique in toto Christianorum

sententia est, quia per excommunicationem, addita publica denuntiatione, iam amittit excommunicatus ius suae famae. Ergo non est excommunicatus, unde legem prohibentem, nec cum denunciatio communicem, servare non debeam. Excusatio enim esse poterat, ne illum publicè, vel occultè repellendo, offenderem in fama, at in fama non offendendo, quia eam iam ipse amisit, ergo repellere possum, & consequenter servare legem, seu prohibitionem prædictam semper, sive publicè, sive occultè compellor.

21. Secunda sententia, quam semper Layman, lib. 1. r. 5. p. 2. c. 4. n. 3. quàmque fateor esse communiorē, distinguit in hunc modum: Facta alibi denuntiatione publica, si hic publicè, ea sciatur, debet eiusmodi denuntiatio publicè, & semper vitari. Si verò ea solum sciatur occultè, debet ab eis, qui eam sciunt, occultè vitari, non publicè. Ratio huius sententiae est, quia in cap. Cum non ab homine, de sententia excommunicationis, præcipit Pontifex, ut publicè excommunicatus, repellatur publicè à Fidelium convicta, occultus verò, occultè. Ergo cum habeamus hanc clarā iuris dispositionem, ea est omnino servanda. Neque obstat, (inquunt huius sententiae sectatores) Decretum Concilii Constantiensis, quod à Mart. Quinto fuit confirmatum, concedens Fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis. Non obstat (inquunt) quia idem Decretum excipit nominatim denunciatis, publicisque Clerici percussoribus: is, de quo loquimur, iam nominatim denunciatus est.

22. Tertia sententia, quam tenet Castropal, alique mox citandi, absolute docet, eiusmodi nominatim denuntiatum alibi, v.g. Neapoli, posse admitti hic ad communionem Fidelium, tum publicè, tum occultè, si denuntiatio sciatur occultè, & non posse, solum, quando sciatur publicè. Ratio est, quia obligatio vitandi, etiam fecerit, excommunicatum, non oritur post Concilium Constantiense ex excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ergo, si hic non est denuntiatio notoria, sed occulta, nullam hic obligationem pariet illum excommunicatum vitandi, at solum pariet, si sit notoria, & publica.

Hæc tres sententiae probabilitatis metam attingunt, tum propter rationes, quibus innituntur non contemnendas, tum ob gravitatem Doctorum, à quibus defenduntur. Mihi tamen probabilior sit hæc tertia, quam Castropal, d. 2. de cens. p. 4. n. 9. Diana etiam probab. vocat p. 5. r. 9. c. 134. Alphons. de Leone de cens. recoll. 3. n. 148. contendens hanc sentent. Valquez, quem contrarij ad se trahunt, alique sequuntur.

23. Confirmo autem sic primò, quia hæc conformior est Concilio Constantiensi volenti, Fidelibus timoratis benignè favere.

24. Confirmo secundò, quia in ipsis verbis Concilij is sensus non obscure indicatur: *Nemo* (sunt verba Concilij) *teneatur abstinere à communicatione cum excommunicato, nisi sententia, seu excommunicatio fuerit à Iudice promulgata, vel denunciata specialiter, & expresse.* Cum enim illud (*Promulgata*) duplicem sensum habere possit. Primò, absolute, id est, nisi fuerit immediate à Iudice publicata in loco tandem aliquo. Secundò, respectivè, ad est, nisi comparatione illius loci, ubi exhibenda est vitatio, publicata, mediante fama, vel aliquo simili modo, in illo loco fuerit. Cum, inquam, duplex is sensus haberi possit, atque uterque aptari valeat Decreti verbis, æquius erit, eligere hunc posteriorem sensum Fidelibus faventem, quibus favere principalis intentio Concilij in eo Decreto fuit. Sane ex sententia Valquez, de Euchar. d. 211. c. 5. n. 45. leges, quæ obscuram habent interpretationem, possunt bene, etiam ad praxim, intelligi secundum sensum, qui probabiliter attribui potest illi legi. At negari non potest, posteriorem hunc sensum attribui probabiliter posse verbis prædicti Concilij ergo, &c.

25. Confirmo tertio, ex paritate cum notorio Clerici percussore, quam sic explico: Avila, de cens. 2. p. cap. 6. d. 11. dub. 12. qui tamen nobis in prædictis est contra-

rius, probabile iudicat percussorem Clerici notorium in una Civitate, v.g. Neapoli, & in alia, v.g. hic Panormi occultum, non esse hic vitandum, nec publicè, nec occultè. Et ratio est, quia ex Durando, & Paludano, quando quis est publicè excommunicatus in uno loco, non debet censeri publicè excommunicatus in alio. Id, quod probat Avila, Primò, quia post Constantiense, ut percussorem hunc teneat vitare, requiritur, quod sit notorius percussor, sed hic ubi occultè scitur, non est notorius percussor, ergo, &c.

Secundò, quia hæc supponitur esse notorietas facti: Ergo, ubi factum, id est, percussio est occulta, non poterit dici notoria percussio, & consequenter, nec ille dici notorius percussor, atque adeo, nec vitandus. Quare, ut sit, teste Leand. d. 1. §. de excomm. q. 3. vitandus, debet fama publica constare, illum percussisse Clericum, & item notoriè percussisse.

26. Hæc ex Avila. Ex quibus sic colligo: Concilium Constantiense in percussore requirit notorietatem facti, ad obligandum Fideles, ut illum repellant; unde Avila probabile putat, percussorem alibi publicum, sed hic occultum, non esse hic, nec publicè, nec occultè repellendum, ergo valde verosimile est, ut idem Concilium etiam in denunciato, requirat hic publicitatem denuntiationis, ut hic sit repellendus. Probatur consequentia, quia æqualiter Concilium statuere videtur de utroque casu, cum æquè velit à Fidelibus occasionem tollere scupulorum.

27. Confirmo quartò, inducendo alio modo paritatem eandem ductam à percussore prædicto. Nam post dictum Concilium non teneor vitare percussorem Clerici, nisi, quando nulla potest eiusmodi delictum tergiversatione celari, seu excusari, ergo valde conforme dicto Concilio erit, si idem dicamus de eiusmodi alibi denunciato, hic enim aliqua tandem ratione, seu probabilitate potest excusari. Et sanè nonnulli Doctores tenent, legem etiam Pontificiam, quamvis Romæ publicatam, non obligare in aliis Provinciis, vel Diocesis, nisi ibi illa publicetur: quæ opinio, quando in constitutionibus Pontificis non additur Clausula: *Ut publicata Roma intelligatur in omnibus locis promulgata*, satis probabilis ab aliquibus, ut Farin. frag. p. 1. v. Constitutio, n. 656. Sæ Navar. Abbate, Medina apud Castropal, tom. 1. r. 3. d. 1. part. 12. num. 1. existimatur; tamen si fatear à Castropal, loc. cit. Azor. part. 1. lib. 5. cap. 3. q. 3. circa medium, aliisque multis, & ab aliis improbabilem existimari. Ab his ergo sustinentibus, eam sententiam esse probabilem, dici poterit, in casu nostro occultum hic, quamvis alibi denuntiatum, excusari, ut non sit hic vitandus, quia eius denuntiatio, quæ æquivaleret legi, nondum est hic publicata; publicetur ergo illa per iudicis sententiam, vel immediate ab ipso, suisve Ministris, vel certè, ut dictum est, ab ipsa fama, vel alio modo, & tunc sine dubitatione, ex obligatione erit ille vitandus. Adde, posse etiam excusari ab Auditoribus supra allatis, qui sententiam nostram hanc diserte sequuntur.

28. Confirmo quintò, quia excommunicatus quomodocunque vitandus, ubi est occultus, est innocens, ergo habet ius petendi quamcumque rem externam, & consequenter nemo tenebitur illam ei denegare, adeoque nec tenebitur etiam in occulto illum vitare. Ita Leander d. 15. de excomm. q. 56. alios citans.

Ad rationes adversariorum facile respondeamus: nam ad rationem primæ sententiae inductam à diffamatione, concedo, diffamantem hic eos, quorum fama alibi maculata est, non peccare contra iustitiam, sed, tacendo interim, an tunc contra charitatem peccetur, dicimus, piè credendum esse, Concilium Constantiense voluisse adherere perfectioni charitatis, quæ Fideles promoveat ad contemenda, quantum ex nobis fieri potest, proximorum delicta, etiam aliàs publica, iuxta Sancti Pauli pronuntiatum: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

29. Ad rationem secundæ sententiæ dicentis, debere servari

servari ius. *Cum non ab hom. de sent. & excomm.* disponens, ut publicus excommunicatus publice vitetur; occultus, occulte, iam patet ex dictis responsio manifesta. Huius enim legis dispositio satis probabiliter limitata, & mitigata fuit à Concilio Constantensi, ut dictum est.

30. Hæc pro angustia temporis, quo propositam difficultatem ex temporario stylo percurrere iussus sum, minus eruditè composita, boni consuleret, dignetur, Antistes amplissime.

Concertationis finis.

31. Hæcenus Dissertatio Theologi iunioris, & Auditoris olim mei, nam fortasse, quia mei, mihi eruditior vita est, animoque insedit gravior. Nec tamen minus doctam censui Senioris communiori sententiæ innixam disputationem, (nam censeo cum Leandro d. 13. de excomm. quæst. 56. utramque opinionem esse probabilem) & nisi iunioris urbanitas licet diremisset, incerti adhuc, cuiusnam Beneficium concedendum esset, ego, & examinatorum consellus ambigeremus. Nodus ergo fabulæ sic dissolutus est:

32. Vbi lecta est utriusque conscriptio, & nutibus, plausibusque, ut videbatur, æquè probata, antequam è loco concertationis discederent, ut iis absentibus liberiora concurrerent suffragia, Theologus iunior, se aliquid velle in medium afferre, significavit, atque annuente Antistite, sic exorsus est:

Illustrissime Præsul, absoluto iam examine, ad quod accedere, valide me rationes non moverunt modò, sed coegerunt, còque à me (quod Summo Deo immortales sint gratia) ut ex humanissima horum omnium approbatione conicio, non infeliciter exacto, oro dominationem vestram, ut Beneficium, de quo est contentio, per familiarium huic meo concertatori, quem ab infantia semper sum veneratus, meo iuri, quodcumque illud sit, cedente, liberrimè concedat. Ego iunior, hic ætate Senior: Ego Patrimonium aliquantulo locupletius possideo, hic aliquantò sentius. Ego, ut cætera omitam, experientià ipso minor, longè maior ipse. Vnum mihi fatis erit, superque, si amplissima dominatio vestra mei non immemor, primo vacante non dissimili Beneficio, illud præster, quod eiusdem Dominationis vestræ prudentia, atque humanitas gerendum esse, dictaverit.

O verè nobilem animum (erat enim, & sanguine, & genere præclarus): exclamavit, his auditis, Archiepiscopus, & conferatur (inquit) Parochiæ ministerium amico, sed ne tibi sola spes, quæ fallax esse consuevit, ablandiatur, quandoquidem universi iuris mei Vicarium propediem Roman legatus sum, te nunc in eius muneris locum substituo, optata nostra, in ærum, dum ille redit, promovebit Deus. Plausum dedimus ad hæc, quotquot ibi aderamus omnes: Ille ergo Beneficio auctus, hic novo munere decoratus, cum gratias bono Antistiti egissent, læti discessere, Examinatorumque consellus, felici omine dissolutus est.

§. III. Quidnam præstet certitudinem moralem, quod quis sit excommunicatus vitandus, vel denunciatus?

1. **EX** omnium sententià ad obligandos Fideles, ut excommunicatum à sua communicatione repellant, requiritur certitudo moralis, quod quis sit excommunicatus vitandus, hoc est, quod sit denunciatus publicè, vel publicus percussor Clerici, & quod non fuerit absolutus. Hæc ergo in præsentia sunt aliquantò distinctius explicanda.

1. Dico primò, si sit probabile, aliquem esse excommunicatum vitandum, & item probabile non esse, posse à te illum vitari, & posse non vitari, quia potes alterutrum ex his probabilitatibus amplecti. Quod si sit probabile illum esse excommunicatum vitandum, sed

nulla probabilitas appareat, illum talem non esse, tunc certè is à te debebit, quia in materia, hæc dicitur à te certitudo moralis.

3. Dico tamen secundò, ad expellendum excommunicatum à iudicio, concludenter esse probandum communicationem, & denuntiationem, nec satis esse probabilem, seu verisimilem, ita enim dicitur cap. 1. de excomm. in 6.

4. Dico tertio: Quid si, facta morali diligentia, (quæ omnino facienda est) remaneat negativè dubium. An primò, quis sit excommunicatus, An secundò, sit denunciatus, An, tertio, sit ab excommunicatione vitandus absolutus?

5. Respondeo, in primo, & secundo casu non obligaris illum vitare, quia possidet tua libertas. *Leg. qui in hanc rem dixi lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 7. vers. Confessio.* Excipit Suarez, Lezana, Avil. apud Caltrapol. l. 1. c. 1. alique, nisi agatur de aminatione, vel receptatione Sacramentorum, de qua re nos lib. 1. Decal. cap. 3. §. 4. num. 20. In tertio, obligaris, quia tunc possidet tuam potestatem, excommunicatio vitanda. Absolutio autem est dubia.

6. Dico quartò: Vndenam haberi possit prædicta certitudo moralis, quod quis sit excommunicatus, denunciatus nominatim?

Respondeo, habetur primò, à fama publica, quæ fit à viris fide dignis orta. Secundò, à testimonio duorum, trium fide dignorum, asserentium, hanc esse denuntiationem. Tertio à testimonio Parochi, offerentis inter communicationis, & denuntiationis, secus, si is solus voce testaretur: quia uni testi, quamvis digno non liceat credere, quamvis possim. Addo, uni testis licet dignus non esse fidem habendam, quando agitur de gravi alio rursus præiudicio.

7. Quæ dicta sunt proportionaliter applicata ad certitudinem, quæ requiritur, ut percussor publicus Clerici à te, qui eiusmodi percussioni non adfuit, vitandus sit.

8. Dico quintò: Vndenam habeatur similis certitudo, quod quis, si fuerit excommunicatus vitandus, tamen sit absolutus?

9. Respondeo, ex similibus testimoniis, quæ in modò indicavimus. Quare moralem certitudinem abolitionis præstabit tibi, Primò, eadem fama publica. Secundò, idem testimonium duorum, vel trium, in d. h. sufficiet testimonium unius fide digni, iam enim dixi, non fide digno me posse fidem habere, multò magis in casu, de quo loquimur, in quo agitur de favore. Tertio, debet ipsius excommunicati, si alias, spectata conditione personæ, & negotij, prudenter ipsi credi potest. Quarto, aliquem tempus, ipsumque, cum sit timorata confessio, se, ut non excommunicatum gerere.

10. Dico denique sextò, Quid, si certò sciam ex confessione Sacramentali, te esse excommunicatum vitandum tunc, vel debeo te vitare?

Respondeo, cum Suar. Avila, Bonac. Delugo, alique cit. à Leand. de Pen. tr. 5. d. 10. §. 12. Quamvis, si à te contra Confessionem sciam, vitandum te esse, debeam vitare, quia tuum testimonium facit mihi moraliter certum tuam excommunicationem; tamen, si id sciam, tu in confessione, nullo modo possum te vitare, neque in publico, neque in occulto, quia, ut alibi dixi, nunquam possum uti scientia habita in confessione in incommunicatum Penitentis. Quicquid ergo distinguat Leand. ibid. de rebus d. 15. de excomm. §. 48. qui dicit, te posse vitare, non in publico, sed in secreto, licet ad id non tenearis, absolute enim dico, nunquam te posse.